

CAP. XXI.

Cerdoniani vnde dicti. Erroris autem eorum
capita quatuor recitata.



*C*erdoniani à Cerdone¹ nominati, qui duo² principia sibi aduersantia dogmatizant, Deumque Legis ac Prophetarum non esse Patrem Christi, nec bonum Deum esse, sed³ iustum: Patrem verò Christi bonum: Christumque ipsum neque natum ex foemina, neque habuisse carnem, sed nec verè mortuum, vel quicquam passum, sed simulasse passionem. Quidam verò in duobus suis principis duos deos ita eum dixisse perhibent, ut unus eorum esset bonus: alter autem malus. Resurrectionem mortuorum negant. Spernunt etiam Testamentum vetus.

¹ A Cerdone nominati.) Quod in bellis homines faciunt, idem in oppugnanda Christi veritate Satan molitus est, & tandem perfecit, ut pluribus in locis variisque stratagematis insidias strueret, ne, si aliqua ex iis detecta essent, & cederent malè, omnino victus superatusque maneret. Itaque eodem penè tempore Valentinum & Cerdonem ex eadem infelicissima Simonianorum schola produxit, qui diuersam prorsus viam ingressi, fidei tamen Christianae doctrinam euerterent. Quia enim Evangelica doctrina vnum & eundem Christum mediatorem nostrum, & Deum verum, & hominem verum fuisse tradit (alioqui enim pax nobis apud Deum constare non potest) vtrunque hoc fidei nostrae fundamentum diruendum suscepit. Erant enim iam putidiores & notiores primi illi Simonis Magi errores, quàm vt quisquam

k iij.